

Epitome religiosorum huius d. Ettonis  
monasterii,

vitae seriem nec non eorumdem acta laude succincte  
perstringens, per p. Carolum Will, o. s. p. Bened.  
ejusdem monasterii professum, 1728.

Paraenesis. Multa sane gloria coenobii hisce  
nostris diebus, si quosdam virtute, sapientia ac pietate  
praeditos de suis valent recensere. Facta etenim praede-  
cessorum incitamenta sunt subsequantium religiosorum,  
nam verba quidem movent, sed exempla trahunt. In  
nostro hoc divi Ettonis monasterio, minime dubitandum,  
quin nullo non tempore reperire fuerit religiosos pru-  
dentia praeditos, saeculo ex animo renuntiantes, domi-  
nantes in sensuum potestate, magnos virtute, loquentes  
persaepe populis sanctissima ac saluberrima e cathedris  
verba, morum pulchritudinis studium habentes, in pe-  
ritia sua modos requirentes musicos, divites in virtute,  
bonae famae ac optimae conversationis suaveolentem  
odorem prae se ferentes. Verumtamen singulos eos, qui  
eiusmodi gloriam genti suae, id est monasterio huic,  
adepti sunt, denominare, prout esset animus, vires su-  
perare ac extra sphaeram modernae possibilitatis esse  
palam profitemur. Inde enim evenit, unde unice et  
maxime doleamus, nomina praedecessorum perisse  
eosque iam esse, quasi non fuerint. Nati quidem de  
iis et filii eorum sumus, sed quia laudes eorum nobis  
modo ignotas narrare nequimus, vehementer idcirco  
ingemiscimus. Quidquid ex actis, scriptis, literis, libris  
etc. hinc inde colligere licuit, id omne futurae poste-  
ritati praesente libello conscriptum consignabitur. Ab-  
batum regiminis tempora percurrere jam animus nullus  
est\*, sed religiosorum duntaxat conventualium nomina,  
et acta (in quantum notitia contulerit) a die fundationis  
ad moderna usque tempora commemorabuntur, qui vo-  
catione sua dignam egerunt vitam, quique moribus  
genuinos se Benedicti patris probavere filios: eorum  
fiet hic mentio, qui aut ob orationis assiduitatem, pie-  
tatis fervorem, scientiae et doctrinae nitorem, silentii  
tenacitatem, disciplinae regularis observantiam, jejunii  
irequentiam, aut per alia memoratu digna nomen reli-  
querunt narrandi. Ne igitur patres hi venerandi obli-  
vioni penitus tradantur, ea propter libello praesente  
illorum facta laudabilia congerere, calamo exprimere,  
insignia quoque, si queis usi, annectere posteritalique  
imitanda relinquere stat fixum ac alta mente repositum.

\* Er schrieb also diese Schrift, nachdem er das album sive  
catalogus abbatum schon vollendet hatte.

Et merito eorum sit memoria in recordatione, quorum  
vita fuit in benedictione.

Ad lectorem. Miraberis forte inusitatum scribendi  
modum, totum videlicet libellum unico paragrapho  
et quidem continuo compilatum. Verum cum opus sit  
parvum atque taliter constitutum, ut nec anni sibi in-  
vicem ex integro succedant, hinc etiam nequit in annos  
distribui, sed neque per capita potest distingui, cum  
desit materia, quae in iisdem singillatim valeat per-  
tractari. Igitur paragraphus iste continuus per se ipsum  
annum quemlibet materiamque unam ab altera distincte  
proponet elucitatum.

Paragraphus continuus. Quamdiu antiqui  
nostri cellam monachorum (den so genannten Bruder-  
Garten\*) incoluerint, quive illi fuerint, hodie ignorat-  
ur. Wiggerum, illum probatae religionis virum, ibidem  
aliquamdiu monachum egisse, ac postea ob eximias  
virtutes ad episcopatum Argentinensem inde evocatum,  
docent, quicumque de nostro hoc divi Ettonis monasterio  
scribunt et scripserunt\*\*. Postquam autem eremitorio  
illo relicto hoc in loco anno ab incarnatione domini  
779 praedecessores nostri habitare coeperunt, inter illos  
monachus tunc temporis existerat quidam, nomine Hil-  
dulphus a divo Ettone, huius monasterii fundatore ac  
renovatore, in abbatem constitutus et hisce verbis lau-  
datus: „constitui ibidem abbatem virum reverendissi-  
mum nomine Hildulfum.“\*\*\* Ita instrumentum authen-  
ticum latinum. Instrumentum foundationis Germanico  
idiomate conscriptum sic de Hildulpho habet: Und habe  
also einen Aht gesetzt, den allerwürdigsten Mann, genant  
mit sinem Namen Hildolf.“ Caeterum ab isto Hildulpho  
usque ad Wernherum priorem nullius alterius religiosi  
fit vel minima mentio†, sed sciendum injuriosis tem-

\* Der Brüdergarten ist ein Bergwald, der nordöstlich von  
Münchweyer liegt. Diese Benennung ist jedenfalls alt und weist  
auf frühere Wohnungen von Clausener hin. S. oben S. 82.

\*\* Die Angabe, daß 784 Ettenheim-Münster von Otto, Bischof  
v. St. gegründet wurde, ist aus Hermann Angiensis chronicon,  
Perz Mon. SS. VII. p. 98.

\*\*\* Ist wörtlich aus dem 1. g. Testament des Bischofs Eddo  
entnommen.

† Da vor dem Jahre 1540 gar keine handschriftlichen Auf-  
zeichnungen in Ettenheim-Münster sich vorfinden, so muß man  
vermuthen, daß die Bibliothek 1525 von den Bauern mit dem  
Kloster verbrannt wurde. In den ältesten Straßburger, Weissen-  
burger und Honauer Necrologien ist nichts von Ettenh.-Münst.  
enthalten, auch in dem Heichenauer, von Keller herausgegeben,  
nichts. Nur die Verbrüderungsbücher vom 9. Jahrh. geben Etten-  
heim-Münster an.